



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Aures.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

contexta fit ex fibris velut radiofis : ab aliis ciliares processus nuncupantur. Retina ferè proprium visus organum habetur : ex se non est omnino opaca, opacatur tamen à choroide ipsi à tergo inhærente.

Tres quoque in oculo reperiuntur humores, aqueus, crystallinus, & vitreus. Aqueus humor A A A totam oculi cavitatem inter corneam & ciliares processus seu araneam opplet, globosam oculi figuram efficit, corneam distendit, ne rugas contrahat, uveam, quæ liberè in eo humore natat, humefacit, ut faciliorem habeat motum. Sectâ corneâ hic humor defluit instar aquæ, hinc dicitur aqueus, subinde albugineus ; spirituosum tamen esse, licet colligere, quia acerrimo frigori expositus vix congelatur.

Crystallinus humor C continetur ab aranea K K K K : propriè non est humor, sed est veluti gemma crystallina pellucida, nonnihil solida, mollis tamen, ut comprimi possit & dilatari, quæ, si asservetur, indurescit magis, præsertim calore ignis, quod non accidit in humore vitreo, qui potius liquefcit. Figuram lentis imitatur, sed inæqualiter convexa. Partem anteriorem segmentum esse sphaeroidis elliptici, posteriorem conoidis hyperbolici suspicatur Keplerus. Non tamen in omnibus, & semper eadem est figura. Pars est oculi ferè præcipua, & quasi in medio posita, hæc radios visuales colligit, & in fundo oculi adunat. Successu temporis fit planior & minùs turgida, ut apparet communiter in senibus, qui propterea opus habent perspicillis, eò magis convexus, quò planior est crystallinus.

Vitreus humor V V omnium copiosissimus reliquam oculi partem postremam occupat : densus est instar vitri fusi, unde vitreus dicitur : humectat retinam, ne indurescat, eamque à lente crystallina removet competente distantia.

Tandem nervus opticus O ultima bulbi ocularis pars est : is oculo implantatur ad latus, non verò in parte pupillæ directè opposita, ut voluit Willsius. Et hinc explicant aliqui celebre illud Scheineri vel Mariotti experimentum, quo dispositis in lineam rectam objectis tribus aut pluribus, modò unum, modò alterum, etiam oculo aperto, penitus evanescit. Ut autem duo sunt oculi, ita duo sunt nervi optici, proceduntque ex cerebro distincti, & invicem separati antequam tamen calvariam egrediantur, uniuntur circa medium frontis locum, ita arctè, ut unus videatur effici, & post continuatam aliquantulum conjunctionem sine decussatione iterum in duos discedunt, singulique tendunt ad cava ossium, quibus oculi inseruntur. Porro in hoc nervo præter tunicas memoratas, quæ ex eo nascuntur, visitur in medio substantia quædam medullaris cerebro non absimilis.

Aures.

Aures, quæ sunt auditus organum, pluribus constant partibus, quæ ad tres præcipuas possunt referri. Prima pars auricula dicitur, seu auris exterior, cartilaginea est, & expansa, in varias plicas convoluta, ad sonum excipiendum, frangendum & reflectendum, ac deinde in aurem introducendum. Hinc quibus resecta est auricula, ii obscurius & confusius audiunt, vocèsque instar sonitus fluentis aquæ cum murmure quodam percipiunt. Ea autem animalia, quibus oblongiores sunt auriculæ, ut lepores, cervi, asini, aures statim convertunt in eam partem, unde prodit sonus, ut facilius & melius excipiatur, audituque pollent acutiori. Hinc etiam surdastrum, applicatâ manu, eaque in concham complicatâ, sonos excipiunt, & melius audiunt, quod etiam alias audientes juvat. Sequi-

Sequitur concha seu meatus auditorius, per varios flexus & spinas ad tympanum usque porrectus, qui flexus & spiræ obstant vehementiori aëris motui, ne confertim irruens tympani membranam lædat. In his quoque angustiis, seu in meatu auditorio plures insunt glandulæ, è quibus prodit flavus ille ac glutinosus humor, qui à ceræ similitudine cerumen dicitur, eoque velut glutine irretita, si quæ fortè subeant animalia, constringuntur, nec ultra progredi possunt. Verum, si fortè humor ille copiosior sit, nisi identidem ejus parte superflua meatus auditorius expurgetur, periculum est, ne concreascit & tympanum lædat. Et hanc celeberrimus du Verney surditatis ordinariæ causam agnoscit, quæ multi laborant. Licet autem aures hominis ferè sint immobiles, quatuor tamen notantur muscoli, quibus moveri possint.

Post hujusmodi meatus & speluncas reperitur membrana tympani subtilis, sicca & tensa, annulo cuidam cartilagineo & osseo sic alligata, ut tendi nonnunquam aut relaxari possit. Ad tensionem & relaxationem istius membranae tria annumerantur officula aut quatuor, videlicet malleolus, incus, stapes, & os orbiculare ligamento stapedis annexum. Ex altera tympani parte, velut in tympano vulgari apponitur una & altera membrana, per quas sonus & aëris fremitus in tertiam auris speciem traducitur, quæ labyrinthum & cochleam complectitur. Labyrinthus ita nominatur, quod in semicirculis ossis sic excavatus sit, ut ex majori illius cavitare, quæ vestibulum nominatur, aliæ omnes cavitates aut ductus oriantur, & in eam absolutis suis gyris tandem desinant. Intima hujus cavernulae pars est cochlea, cujus ductus in principio amplior est, tum magis contrahitur, & in spiras cochlearum instar contorquetur: sunt & nervi auditorii, qui, sicut in aliis sensuum organis, in ramos & fibrillas ac per membranulas expanduntur.

Nasus.

IN naso, sicut in aure, duas partes licet distinguere, externam scilicet, quæ conspicua est, & internam, quæ prorsus abdita ossi cribriformi immediate subjacet. Pars externa omnibus conspicua duas in partes intercedente medio septo, partim cartilagineo, partim osseo dividitur. Quilibet pars superius duo foramina seu duos sinus habet; alter sursum ad os spongiosum ascendit, alter deinde ad palatum & fauces descendit; unde nonnunquam potus in nares ascendit, & nasi excrementa nonnunquam in palatum descendunt. Est autem nasus pars faciei protuberans, olfactui inserviens, & in respiratione aëri transitum præbens, nec non cerebri excrementa per ossa cribriformia defluentia dimittens. Cutis sub septo medio crassior est, atque interius pilis investitur, qui vibrissæ dicuntur. Ossa nasi lateralia partem nasi superiorem immobilem sustinent: sinus nasi, nares vocantur, quia per eos odor & spiritus in mare non desinunt. Narium interior amplitudo vestitur tenui membrana, quæ à dura meningē oriri dicitur, hæc valde subtilis & sensibilis est, unde acri quolibet humore aut corpore vellicata sternutationem parit. In naso venæ sunt & arteriæ, fibrillæ & nervi olfactorii, quorum aliqui communes sunt oculis & palato; unde odor acris sæpe lacrymas ciet; suavis verò & sapidus odor salivas exprimit.

Nasi pars interior, quæ est verum odoratus organum, constat ossibus spongiosis, lamellis cartilagineis sine numero, productionibus mamillaribus, & possimum membrana delicatissima: has omnes membranas obvolvit tunica nasi